Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Gloria patri, et filio, et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio et nunc et semper, et in secula seculorum, amen.

Psalmus LXXI.

Deus iudicium tuum regi da, et iusticiam tuam filio regis, iudicare populum tuum in iustitia, et pauperes tuos in iudicio.

Suscipiant montes pacem populo: et colles iusticiam.

Iudicabit pauperes populi, et saluos faciet filios pauperum: et humiliabit calumniatorem.

Vt permanebit cum sole, et ante lunam in generatione et generationem.

Descendit sicut pluuia in uellus, et sicut stillicidia stillantia super terram.

Orietur in diebus eius iusticia, et abundantia pacis: donec afferatur luna.

Et dominabitur à marj usq; ad mare: et à flumine usq; ad terminos orbis terrarum.

Coram illo procident Æthiopes, et inimici eius terrã lingent.